

Fluor
140.
 argentum viuum vulgi adhæret in corporib. quod est falsum. Putant enim se intelligere capitulum Gebris de argento viuo, vbi dicit: Cum in rebus cæteris exquirentes, non inuenimus inuentione nostra rem aliam magis quam argentum viuum corporum naturis amicari, &c. Hoc autem totum intelligendum est de argento viuo Philosophico. Ipsum enim solum adhæret in corporibus, & nullam aliam rem inuenire potuerunt Philosophi antiqui, nec moderni inuenient aliam rem, quæ corporibus adhæret, nisi argentum viuum Philosophicum. Quoniam argentum vulgare non adhæret in corporibus, imò corpora adhærent ipso argento viuo. Et hoc est verum per experientiam, quia si coniungitur argentum viuum vulgi cum aliquo corpore, argentum viuum manet in natura propria aut recedit, & non vertit corpus in suam naturam, & ideo non adhæret corporibus, sed corpora adhærent sibi. Et propter hoc multi sunt decepti in operando in illo argento viuo vulgi. Quia lapis noster scilicet argentum viuum occidentale quod pretulit se auro & vicit illud, est illud quod occidit & viuere facit. Scias ergo quòd argentum viuum coagulatum, mortificatum propria natura, est pater mirabilium omnium huius magisterii nostri, & est spiritus & corpus: id est, spirituale corpus, quia sublimatione ascendit. Et hoc est quod Geber dixit: Consideratio veræ rei quæ omnia perficit, est consideratio electorum puræ substantiæ argenti viui. Sed ex quibus maximè hæc argenti viui substantia elici possit, solet quærri. Et nos respondentes dicimus quod in his in quibus est, ex illis elicitur. Ergo, fili, considera, & vide vbi sit illa substantia, & istam accipe & non aliam, si peruenire desideras ad verum intellectum, &c. Dico tibi in charitate Christi, quòd nullo modo inuenire potuimus, nec Philosophi similiter inuenire potuerunt aliquam rem perseuerantem in igne, nisi solam illam vinctuosam humiditarem perfectam non cremabilem. Et illa quando est præparata, vt oportet, omnia corpora quæ tangit ducit ad verissimum solare complementum, & super omnia corpora, & maximè Lunam.

140. Radix artis, est sapo sapientium, & est minera omnium salium

Basil. in Triumph. magnum pag.
 375. 376